

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 252

In nomine sanctae Trinitatis. Noverint tam presentes quam posteri quod venerabilis dominus Erleboldus Dei gratia aecclesiae Stabulensis abbas, per voluntatem et assensum totius capituli sui, villam suam Germiniacum nomine sitam in pago Remensi, ob necessarias quasdam et rationabiles causas, Hugoni Dei gratia abbati et aecclesiae S. Remigii jure perpetuo contradidit possidendam cum omnibus appendiciis suis et universis quaeumque possidebat citra fluvium Auxonam, exceptis capitagiis hominum ad predictam villam pertinentium; tali nimirum conditionis tenore, quatinus abbas et aecclesia S. Remigii jure itidem perpetuo singulis annis in festo sancti Johannis Baptistae abbati et aecclesiae Stabulensi in eadem aecclesia Stabulaus censualiter persolvant octo marchas argenti boni et bene vendibilis. Determinatum etiam et utrinque concorditer est concessum, ut de hominibus capitecensis abbas et aecclesia S. Remigii plenariam optineant justiciam, tum pro capitagii sui distractione, tum pro effusione sanguinis, tum pro inconcessa vel subrepticia matrimonii susceptione, postremo de mortuemanus juridiciali consuetudine; in quo talis facta est determinatio, ut quicumque de predictis hominibus capitecensis voluerit solvere capitagium suum aecclesiae S. Remigii liberam habeat optionem, vel si quis maluerit illud portare ad aecclesiam S. Remacli et inde rediens legitimum illius solutionis intersignum attulerit, fas erit et licitum. Porro quicquid tam in hominibus capitecensis quam in quibuslibet redditibus, hospitagiis, capitalibus, censibus, consuetudinibus quibuscumque, terris cultis et incultis, alienatum est et distractum a predictae villae territorio, universa haec perquirere et inventa possidere concessum est abbati et aecclesiae S. Remigii. Proinde si contigerit aliquando causam aliquam vel placitum suboriri in quo abbatis et aecclesiae sancti Remacli auxilium et advocacionem expostulet abbas et aecclesia S. Remigii, determinatum est quod illi quidem ferent patrocinium de jure et justicia postulantiibus, isti vero patronis suis stipendia ministrabunt. Illud quoque sollempniter est constitutum quod nec propter alicujus meliorationis incrementum quod in predicta contingat possessione poterunt abbas et aecclesia Stabulensis super censum determinatum amplius aliquid exigere, nec propter alicujus incursionis detrimentum poterit abbas vel aecclesia S. Remigii de predicto censu quippiam minorare. Postremo illud quoque superadditum est, ut si abbas et aecclesia S. Remigii in inficias et abnegationes census predicti aliquando, quod absit, declinaverint, postquam conventi fuerint de tanta injuria per capitulum Stabulensis aecclesiae, per Remensem metropolitanum et per episcopum Leodicensem, nisi debitum censum infra unius anni spacium persolverint, insuper etiam expensas super hoc negotio factas abbati et aecclesiae Stabulensi ad plenum reddiderint, centum marcharum debitores erunt predictae aecclesiae, insuper ad possidendam villam suam libere et quiete abbas et aecclesia Stabulensis ilico revertentur. Ut ergo conventionis hujus stabilitas perpetuum robur obtineat, sigillorum utriusque monasterii impressione signata est et confirmata ac litterarum apicibus diligenter annotata, et in utriusque aecclesiae capitulis sub frequentia nobilium personarum recitata et ab universis sine ulla retractatione et refragatione collaudata et concessa. Anno ab incarnatione Verbi M^o. C^o. LX^o. Signum Erlebaldi abbatis sancti Remacli. S. Henrici decani. S. Ratheri subdecani. S. Arnulfi precentoris. S. Simonis prepositi. S. Cuononis, S. Henrici, S. Gerardi, S. Franconis, S. Lamberti, S. Heribrandi, S. Robelini, S. Gerlandi, S. Walceri, S. Roberti Calvi, S. Johannis presbiterorum.

S. Theoderici, S. Walteri, S. Raineri, S. Herimanni, diaconorum. S. magistri Anselmi. S. Garsilii, S. Bernardi, S. Juliani, S. Henrici, subdiaconorum. S. Balduini, S. Herimanni, S. Henrici, item Henrici, S. Bonifacii, S. Alberti, S. Johannis, puerorum. S. Nicholai, S. Lamberti, S. Adelardi, S. Erchenberti, S. Adelardi villici, S. Ebroini, S. Gerardi, S. Bernardi, S. Gisleberti, laicorum fidelium sancti Petri et sancti Remacii. Ego Johannes ad vicem cancellarii recognovi et subscripsi.